

NUMINIS AUSPICII!

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

CONSIDERATIO- NEM FINIUM IN RERUM NATURA

*Sistens**Quam**Cum consl. Ampl. Confess. Phil. in Reg. Ac. Ab.*

PRÆSIDE

VIRO. MAGNIFICO

DN. JOHANNE BROWALLIO,

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & Ord.

*Pro consuetis in Philosophia honoribus**Publicæ disquisitioni submittit*

NICOLAUS AGANDER Th. F.

WIBURGENSIS

Die XIII. Julii Anno MDCCXLV.

In audit. Majori horis pro m. solitis

ABOÆ, Excid. JOH. KIÆMPE, Reg. Ac. Typ.

S:æ R:æ M:tis

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Perillustri & Generosissimo BARONI
ac DOMINO,

D:N. CAROLO JOH.
STIERNSTEDT,

Provinciarum Kymmnegardiaæ Savolaxiæ & Careliaæ
PRÆFECTO ac GUBERNATORI.

MÆCENATI SUMMO.


Maximas, Generosissime Domine Baro, Virtutes
Tuas & insignia in patriam merita adeo cœlebria
justa reddidit fama, ut supra omnes laudes meas posita sint.
Eo minus igitur gloriam Tuam ego, debita dicendi facultate
destitutus, levi verborum ornatu complecti sustineo. Quem
enim

enim latet virtus Tua, que in castris maximi fortissimi-
que, post hominum memoriam, Herois ac Regis gloriissime
memorie CAROLI XII. compluribus praelare factis efful-
sit inter plurima istius temporis Heroum supra humanam
opinionem patrata pulcherrima facinora? in primis vero pia-
mentis veneratione ex osculatur mecum patria mea miran-
dam animi magnitudinem, que inter lugubria ultimi exi-
tiosi beli spectacula maxime illustris in Te emicuit, qua
hostibus saepe terori, civibus vero presidio fuisti, im-
mo sevientium hostium insultus usque ad ultimum
discrimen fortissime sustinuisti ac paucissimis iisque
inxercitatis copiis crueles maxime impetus hosti-
les sepius repulisti, atque sic bona, domos, imo ipsam
vitam multorum Civium, quibus alioqui cum ceteris mi-
serrime perendendum fuerat, ab armorum incendiisrumque
hostilium violentia liberaisti. His ceteraque praecepsis virtu-
tibus Tuis, Generosissime Domine Baro, omnia per-
sonant; bis immortalibus Tuis in has provincias patri-
amque totam meritis animi omnium percelluntur, in primis
autem eorum, qui Te Prefectum suum consilio & forti-
tudine in bello magnum admirati, desiderio Tui, sub
extero Dominio detentii, incredibiliter flagrarunt, & iam,
reddita alma pace, Tuam in jucundissimo otio iustitiam
prudentiam gratiamque summam venerabundi experimentur.
Tanta autem virtutum Tuarum excellentia, a consilio,
ad illustre limen Tuum accedendi, me facile absterruisset,
nisi juxta proensissimi Tui in artes ingenias eoque qui
earundem culture se devoverunt, affectus luculentissima ex-
tarent documepta. Illa vero animum mibi crexerunt, ut
banc

hanc dissertatiunculam Nomine Tuo splendissimo collu-
strare Tibique devotissime consecrare audeam. Addidit
adhuc animum, indulgentia singularis, qua Parentes ca-
rissimos totamque domum paternam amplecti baud digna-
tus, ex. Ignorcas igitur, Generosissime Domine Baro,
hanc audaciam ad gratie Tuæ aram confugienti, Tibiq; fortunam meam commendatam habeas. Erit tanta gratia
baud obscurum indicium, si ad dissertatiunculam hanc se-
reni vultus radios demiseris; cuius si voti compos factus
fuerim, de optimo Mæcenate mea sibi gratiarabitur musa,
pro pereni Tuo Familiæque illustris flore, su-
prenum Cœli Rectorem ardentissimis spiriis impli-
ratura, ut tam fulgidi sideris, hyperboreus Olympus no-
ster, occulum, sera demum videat vespera, sero omnes
boni lugeant!

Perillustris & Generosissimi Nominis Tui

Cultor & cliens humillimus
NICOLAUS AGANDER.



PROCINC'TUS.

§. I.

Considerationem qualemque Finium priscis iam temporibus Physice insertam fuisse, nonnulla testantur monumenta. Quamobrem per celebris ille Scientiarum Architectus W'erulamius, illam, non ut emissam, sed mate collocatam, suo tempore, observavit. Propter et quod cum negiectu inquisitionis in causas efficientes, que Physice propria est, adhiberetur. Cumque praeter ea multa absurdæ & ridicula de finibus docerentur, vel in modum conclusionum ex positis deducerentur, factum tandem est, ut, Cartesio imprimis Auctore ex Scientia naturali, tamquam veris Philos. phis indigna, proscripta hæc consideratio contemptui tantum non omnium exponeretur. Donec, qui rem suam accuratius agere & unum quodque vero suo pretio estimare didicerant, magni nominis Philos. phi, deprebenderent, quanto cum detrimento vere cognitionis & solidæ eruditio[n]is Scientia hæc in se maxime utilis ac necessaria, ob opium, quod perversa tractandi methodus illi conciliaverat, negligeretur: atque, de eadem in honorem

vindicanda consilium inirent, & vel in Physicam iterum, ut prestantissimam ejusdem partem introducerent, vel peculia-
rensi Philosophiae partem illam constituerent, a Physica di-
stinctam, hoc potissimum discrimine, ut quemadmodum Phy-
sica attributa rerum naturalium atque causarum & esse
etiam mutuam relationem &c. traduceret: sic haec scientia
eadem attributa causas & effectus, ac quae reliqua sunt,
sed alio respectu, tamquam media videlicet & fines eorum-
que justam subordinationem consideraret. Scientia haec no-
stra, ita seorsim tradita speciali nomine Teleologiae aut
Scopologiae insignita est.

§. II.

Mundum profecto hunc eum etiam in finem a DEO ta-
lem creatum esse ut homines ex rebus apparentibus
invisibilia ipsius Creatoris, majestatica ejus attributa, agno-
scere, illisque convenienter actiones suas instituere & DE-
UM rite colere possint, & sacra testatur scriptura & re-
ta ratio asequi potest. Homo namque, ut rationis parti-
eeps ac insuper ceteris anima corporique facultatibus pre-
coquenter instructus, ad contemplationem hujus mundi to-
tiusque naturae perscrutationem aptus. Rechte dicitur Baconi
natura minister atque interpres; in hoc igitur studio operam
indefessam omnium optime collocabit. Quamvis enim diffi-
cilitis cognitu sit rerum natura, in rebus tamen naturalibus
singulis, ad testimonium Ciceronis in quaest. Tusc. tanta
est proprietatum vis atque copia, ut quo attentius in eas
animis inquirat, eo majori compleatetur voluptate, & quo
longiores fecerit progressus, eo fortius afficiatur ad continu-
andum studium augendamque scientiam. Quo autem eo im-
pulsus

tius ac felicius bac ipsa incedat via, idem ei in observando tenendus est ordo, quem ipsa natura in manifestando sequitur. Quamobrem ad singula seorsim & in legitima serie attendat summa, qua fieri posse, curatione, acuminne, vi atque prudentia. Hinc neque plus neque minus in ordine natura se affectum paret, quam ipsa re obseruaverit ac mente complexus fuerit; nam ultra nemo progreedi vales.

§. III.

Spreta vero atque neglecta contemplatione finium rerum naturalium perverse illi opinioni facile locus conceditur, quasi non omnia in universo ad certum scopum facta fuissent, sed aut casu fortuito aut bruta necessitate coaliissent & etiam nuni absque ulla provida cura aut manu rediri e Creatoris in mundo perennarent. Qui error, summis attributis Divinis repugnans, atheismum manifesto inducit quo capitior pestis animos hominum nulla occupare potest. Quantum vero nostri intersit, ope accurate attentionis & considerationis rerum naturalium, non solum imposture tam horrende arque occasione atheismi obviam ire, verum etiam perfectionum Divinarum solidam & vivam ex operibus acquirere cognitionem, facile, qui mentem advertere voluerit, perspicit.

§ IV.

Quamvis autem omnium, que in hoc universo existunt, rerum proprietates ne sagacissimus quidem mortalium indagare valuerit; poterit tamen ex nonnullis in quibus divinitatis vestigia maxime manifesta sunt, adeo valida suspicere potentie, infinite sapientia & ineffabilis bonitatis Divine ar-

¶ gumenta detegere quilibet industrios nature indagator, ut ad convictionem omni contradictione superiorum animo in generandam sufficere possint. Enimvero dum ad rerum creatarum artificioissimam structuram, maximam cuiuslibet in suo genere perfectionem, multiplicem usum, admirandum denique nexum attenamus; fines Divini clarissime a nobis conspicuntur.

TRACTATIO.

Caput Prius,

§. V.

QUOD in ipso hujus universi omniumque corporum aspectu, mox nobis obvertatur, est structura sive constitutio. Structura autem est complexus sive conjunctio apta omnium eorum, quae ad rem pertinent, hoc est, quae tam materiam quam formam rei spectant. Quo igitur meliore ex materia res quædam est confecta, & quo a priori forma instruta, eo perfectior ejus structura censenda erit & quae utraque optima constat, structuram habebit perfectissimam. Juxta formam rei, si quidem illa rite erit dijudicanda, attendendum est ad magnitudinem totius, multitudinem partium, & modum quo connexæ sunt singulæ & adaptatae; ergo, quo maius fuerit totum, quo pluribus constituerit partibus, quo denique magis conveniens fuerit connexionis modus, eo illud præcellentiori for-

forma erit ornatum. Sed universum corporeum, cuius magnitudinem ne quidem capit intellectus humanus, innumeris fere constat corporibus, tam majoribus quam minoribus; formam igitur habet, qua superbit, maxime admirandam. Corpora item mundi majora & minora, immo minima cum multitudine partium, que insatiabili varietate distinguuntur, tum aptissima & maxime artificiosa earum connexione conspicua sunt; gaudent igitur & illa forma pulcherrima. Materia plurimis inter se connexis attributis eminet indoleque ad structuram pulcherrimam hujus mundi aptissima. Licet enim essentia corporis nos lateat, ex consideratione tamen extensionis, soliditatis, mobilitatis, quietabilitatis, figurabilitatis, vis inertiae, gravitatis & attractionis pulcerrime elucescit sapientia Divina. Materia etiam singularis omnium corporum universi adeo splendida & multiplex existit, ut ne cogitatione quidem concipere aliquid melius aut praestantius quisquam inter homines vel ingeniosissimus artifex unquam potuerit aut post haec poterit. Quamobrem structura totius universi & omnium rerum adeo elegans artificiola & admirabilis existit, ut artem atque potentiam humanam, immo omnem mentis nostrae captum longe superet.

§. VI.

Quandoquidem res omnes in universo artificissimis gaudent strukturis §. I. & variis realitatibus

tatibus deprehenduntur instructæ, per quas excellens earum obtinetur structura, nulla in illis locum habet repugnancia; ut superfluis non abundant, ita nec defectibus laborant; sed omnes in iis realitates optime consentiunt. Quia vero consensus realitatum dicitur perfectio; sequitur rebus omnibus inesse perfectionem. Quo plures autem realitates in eis consentiunt, & quo aptius ad unum, quod per consensem efficitur, tendunt, eo major est cœlenda perfectio. Sed totum universum innumeris rebus, res singulas innumeris fere constare partibus, modoque compositas esse convenientissimo vidimus §. I. quare maximam perfectionem universo ejusque partibus singulis tribuendam esse sequitur. Tanta utique omnibus rebus in universa natura perfectio inest, ut miram observatoribus pariat voluptatem, artem vero ostendat infinitam. Quamvis igitur rerum omnium structuras cognoscere minime valeamus, adeoque multe perfectiones rerum singularium a nobis non perspiciantur; tam non maxima hic omnium rerum perfectio a nobis haud difficiliter investigatur. Dum enim multis in rebus proprietates innumeras fere detegimus, licet plura semper maneat ignota singularium eam deprehendimus dispositionem, ut ad communem aliquem cum ceteris scopum colliment obtinendum, conservationem videlicet totius ejusque incolumentem.

§. VII.

JAM ad usum partium omnium in universo corporum ostendendum pervenimus, qui adeo se

se præbet conspicuum, ut a nemine in dubium
vocari queat. Quod ut experientiâ probatur, ita
rationi maxime est consentaneum. Uſus enim di-
citur realitas vel bonum ab aliqua re dependens,
quatenus in res alias influit vel talitem influere potest.
Jam vero, in §. §. superioribus ostendimus, o-
mnes res multas possidere realitates, easque sic
adaptatas esse, ut singulæ ad perfectionem totius
symbolam conferant: eamque ob causam omnes
rei partes uſum aliquem habent. Porro omnes res
univerſi, quatenus sunt substantiæ, vi agendi gaudent,
quatenus autem structura optima constant, bonæ exi-
ſunt; quapropter res omnes vi agendi atque rea-
litates communicandi gaudent; consequenter uſus
earum sunt plurimi. Quoniam vero ex natura &
perfectione rerum uſus earum dependent, eo plu-
res deteguntur, quo magis profundam & intimio-
rem naturæ cognitionem assequi nobis datum fuerit.
Non igitur aliud nobis concidere licet, quam suum, cui-
cunque rei in univerſo existenti, esse uſum, nobis licet
non semper cognitum. Nullatenus enim, ab infirmitate no-
stra, ad negationem ipsius rei, valet argumentatio. Cum
autem uſus omnes ex natura & perfectione rerum de-
pendeant, quarum vero intima natura nos latente, ut
cetera que ad rem aliquam pertinent, sic quoque uſus
omnes cognoscere non possumus, neque a posteriori ad cog-
nitionem omnium rerum earumque uſuum pertingere ra-
e-
amus, quippe que infinitæ numero sunt, & plurime im-
menſum a sensibus nostris distant; ergo quicunque o-

mnem rei alicui usum denegare ausus fuerit, si sibi injunctum fecerat, affectionem suam uno vel altero vel utroque modo precedente stabilire. Nobis sufficit rationibus sententiam nostram corroborasse, eandemque experientia confirmari. Quotquot enim perspicacissimi viri in artificiis naturae detegendis desudarunt, multos magnosq; usus rerum naturalium invenerunt, pluribus posteriorum sagacitati relictis: nec ullum autem in contrarium existit exemplum.

§. VIII.

Substantiae rerum omnium, viribus agendi sunt instructae, quæ ad certas realitates producendas continuo tendunt, & re ipsa easdem producent, nisi adfuerint impedimenta: ut ex §. antecedenti constat. Quum vero ea rerum sit ratio, atque relatio mutua, ut quibusdam certo ordine positis, aliæ per eas ponantur atque determinentur; in universa autem natura rerum, structura artificiosissima & certis perfectionibus constantium, atque per eas, ad certos usus tendentium, ea obtrineat mutua relatio, per quam, aut aliis inserviant, aut aliarum participant realitates; ergo, quia ejusmodi rerum relatio dicitur nexus, patet dari in rebus existentibus nexus. Quæ autem connexa sunt, in ea serie collocantur, ubi illa relatio optime locum habet. Quemadmodum igitur res universi inter se connexæ deprehenduntur: ita etiam in illa serie se invicem excipiunt, ubi quæ per illas possibles sunt realitates, ad actum opti-

9

optime pervenire possunt. Hec ipsa, que dicta sunt,
facile esset exemplis e natura rerum petitia illustrare; sive
enim corporum attributa sive coruadem vires & agendi
rationem, sive leges nature & motus, sive corpora caelestia
corumque phænomena, sive corpora terrestria, utpote ele-
mentorum indolem, luminis naturam atmospherae constitutio-
nem, meteororum phænomena & usus, globi nostri figu-
ram, motum, inclinationem & parallellum axes, pro-
portionem inter aquas & aridam, materiam denique & fa-
ciem externam consideraveris, ubique luculentissima sapien-
tiae & consilii documenta oculos animumunque percellent,
atque fines & usus optimi detegentur; imprimis autem illu-
stres emicant, in triplici nature regno, fines & usus
partium, si rite perspexeris mineralium indolem ac mix-
tionem, vegetabilium structuram, partes, locum natalem ac
dietam; vel corporum animalium, membrorumque singulo-
rum conformatiōnem, cum vite generibus contuleris, adeo
ut tandem clarissime per videre possis, nullam in animali
quolibet vel vegetabili fibram, nullum in mineralibus pun-
ctum frustra possum esse, quin suum usum & scopum ba-
beat, & sapientie divine prece sit. Clarissime autem o-
mnia in homine ejusq; tam anime facultatibus quam cor-
poris structura, si iusta cum accurate accuratione considerentur a-
mnia elucet laudata veritas Adeo ut hoc unicum subje-
ctum sufficere posset ad quemvis vel maxime atquebeum convincen-
dum. Qvo in puncto egregiam prorsus operam posuit ex anti-
quioribus Galenus, ex recentioribus vero Wolffius, Nieuwentij,
aliq; ad quos benevolum lectorum remittimus. In uno integris illu-
strium exemplorum voluminibus comprobata sunt ea, que ha-

bei Nieuwentyt. In dem nöthigen unterricht. §. 33. Um nun einem jeden so vernüftig ist von denen vollkommenheiten Gottes zu überzeugen/ ist nun allein dieses hauptsachlich übrig/ als/ Erstens/ das man trachte gewahr zu werden/ wie in diesem sichtbaren Welt oder vielmehr in dem wenigen theil derselben/ so uns bisz aniso mit vollkommener gewissheit bekant durch die erfahrung ist/ so viel weisheit/ macht/ Güte und verwunderung/ volle absichten sich hervor thun/ daß das allergrößte sie kunststück/ so je durch menschen zuthun gemacht ist/ nicht in die geringste vergleichung darbey kan gebracht werden. Et Christ. Wolffius in pref. ad vers. Germ. operis Nieuwentytiani: Es ist kein einiges ding in der Welt/ welches so beschaffen wäre/ daß man aus seiner beschaffenheit alle eingeschafften Gottes nicht herleisten könnte. Alle dinge dependiren von Gott und wie verschiedene eigenschaften in ihnen zu finden sind/ so dependiret auch das jeninige was in einem jeden dinge anzutreffen ist auf eine verschiedene weise von Ihm/ das man durch das jenige/ was man in den natürlichen dingen wahrnimmt/ durch untrügliche schlüsse der vernunft auf die eigenschaften Gottes kommen kan se.

§. IX.

Postquam in antecedentibus breviter seorsim consideravimus structuram ac perfectionem rerum singularium, item usum partium ac numerum plurium; jam ad easdem proprietates junctim contemplandum progredimur. Omnes in uniu-

universo res existentes, quarum proprietates nobis perspicere licet, structuris gaudent perfectis, atque in ea serie & connexione sitæ deprehenduntur, ubi quæ per earum naturas sunt possibilia optimo producuntur modo, atque per vim activam singulis insitam ad reliquarum usus promovendum apprime faciunt, ut ex antea allatis constat: Adeoque hæ ipsæ proprietates ad perfectionem totius concurrunt, atque splendidissimum quoddam maximeque conspicuum, perfectissimum & artificiosissimum constituunt totum givæ unum. Ut hanc rem Cicero in tribus de natura Deorum libris, imprimis autem secundo, & Galenus in suis de usu part. Corp. hum. libris omnibus magno verborum flumine atque apparatu uberrime exponunt & eo semper tendunt, ut quicquid in universa rerum natura deprehenditur, maxima arte & ratione summa absque ulla temeritate optime factum esse ostendant. Audiamus Ciceronem vel unico loco; ita autem ille: Quæ copulatio rerum & quæc consentiens ad mundi incolumentatem coagmentatio naturæ quens non commovet, hunc horum nihil unquam reputavis. se certo scio. Idem fecerunt recentiores omnes rerum naturalium contemplatores.

§. X.

Quod si examinaverimus res naturales generaliter, possibilitatem atque existentiam in illis comperimus. Possibilitas autem consistit in consensu aut non repugnatia eorum, per quæ res ponitur: ideoque ipsa natura, imperfectio atque usus

usus essentialis ex interna rerum possibilitate de-
pendet; usus autem accidentalis, in nexu rerum
rationem sui haberet, qui & ipse aliunde penderet,
neque per essentias rerum necessario determina-
tur. Si autem in rationem hujus possibilitatis
inquiramus, inveniemus sane modum illum no-
bis impervium atque intellectui nostro incompre-
hensibilem. Quia vero omnium rerum datur
ratio, erit illa utique in intellectu aliquo infinita,
cum quo noster nullo modo conterri potest, quæ-
renda. Si existentiam rerum spectemus, nil pri-
us quam contingentia se nobis offeret. Existen-
tia enim rerum naturalium in ipsa earum essen-
tia non fundatur; unde patet illas vi intrinsecas
ad existendum non determinari, sed absolute a-
gnoscere aliquod principium externum existen-
tiæ suæ h. e. causam. Si enim per essentias
existentiæ rerum determinarentur, tum quidem
ab æterno exsistent; quoniam essentiæ sunt æ-
ternæ, & posito determinante ponitur etiam de-
terminatum. Jam vero res quædam in univer-
so oriri, alias interire continuo observamus;
Quare contingens existentia rerum naturalium ad ocu-
lū patet. Omnes ergo res majores minoresve, omnes
partes mundi una cum toto existentia tantum-
modo gaudent contingent. Si igitur ratio dari
debeat, cur res existentiam sint consecutæ, con-
sequantur atque retineant, erit illa petenda ab
ente aliquo a mundo diverso atque distincto, quod
ab-

aboluta necessitate existat, & per infinitam potentiam
 altis in hoc universo rebus existentiam largiatur.
 Hinc quilibet res contingenter existens, quatenus
 propria virtute destinata est & aliunde pendet,
 existentiam entis absolute necessarii evincit. Quod
 si autem instituatur quæstio, cur tales res & in
 tali ordine collocatae in universo deprehendantur:
 tum quidem fundamentum erit derivandum ex vi
 infiniti intellectus, ut paulo ante dictum, qui has
 rerum naturas ac series sibi repræsentare, &, fa-
 sto decreto, per summam potentiam ad existen-
 tiā perducere voluit ac potuit. Scientia enim
 divina est quasi rei aut essentiæ exemplar. Ex
 his jam satis apparet tam res singulas quam o-
 mnes simul sumtas cum omnibus earum propri-
 etatibus, in serie, in qua collocatae sunt, argue-
 re causam, eamque absolute necessariam, & in-
 finito intellectu gaudentem.

Ens vero illud, quod aboluta necessitate exi-
 stit, summa intellectus vi gaudet, & rationem
 universi in se continet, DEI nomine veneramur.
 DEUM igitur existere evincimus ex consideratio-
 ne naturæ. Est hac methodus omnino vera atque genuina,
 qua ab effectu ad causam concluditur; modo obseretur il-
 lud, quod, quemadmodum opera artis non ostendunt ima-
 ginem sed artem opificis; eodem quoque modo opera & ef-
 fectus nature non repræsentant imaginem DEI, sed infini-
 tas virtutes Divinas.

EVida sic §. præced. ex intrinsecis atque extrinsecis rerum affectionibus h. e. modis quibus possibiles sunt atque existunt, causa intelligente; sequitur totum hoc universum pro opere quodam habendum esse, ut & re ipsa est: Ideoque entia omnia quæ comprehendit, tam existentias, quam ordinis atque connexionis ut & realitatum ac perfectionum independentium, rationem in illa unica causa habere. Quare jam ad fines in rebus naturalibus deprehendendos atque ubivis obvios demonstrandum progressum facimus. Finis dicitur quod ens intelligens per actionem intendit, adeoque cuius gratia agit. Mundum a causa intelligente factum; omnesque in eo res ab eadem productas esse ostendimus supra; quia vero cum intellectu semper conjuncta est voluntas, quod etiam ipsum decretum & determinatio ad agendum importat, causa mundi etiam voluntate gaudet. Quicunque autem plene rem intelligit antequam illam producit, is & omnia quæ ex illa sequuntur seu effectus ejus prævidet. Causa ergo universi, quia infinito gaudet intellectu, antequam res ulla produxit, omnes earum consequencias prævidisse censenda est. Ulterius, qui voluntate gaudet, priusquam aliquid efficiat id velle debet. Intellectus enim semper prælucet, voluntas autem decernit; Ergo causa universi omnes res voluit atque decrevit, priusquam illas produxit.

Ni-

15

Nihil igitur superest, quam ut statuamus cunctas universi res ad ejusdem Auctoris & causæ nutum atque decretum factas esse, eumque omnes, quæ ex illis sequuntur, realitates intendisse: Adeoque sequitur dari omnino fines in rerum natura.

Si respicimus ad naturas rerum antea expositas, videmus illas per consensum aut non repugnantiam eorum, quibus constant possibles esse, ideoque eadem ad unum aliquod obtainendum tendere, scilicet perfectionem; Quare concludimus ipsam perfectionem rebus inexistentem ex earundem natura oriundam, finem a causa intentum esse. Deinde ex perfectione substantiarum, quæ in ordine ac nexu constitutæ vim & activitatem suam exercent, proveniunt ulla, qui infiniti in universo observantur; quare cum & hi ex essentiis aut structuris rerum a causa efficiente formati, vel nexus ab eadem constituto sequantur, quia fines sint, dubitari nequit. Atque sic commode satis & opportuno loco evictum est non solum dari fines rerum in hoc universo, verum etiam quinam illi sint in genere ostendum. Quare iam finis cuiusque rei naturalis strictius definiri potest, quod sit perfectio ejusdem rei, tam intrinsecus, quam extrinsecus ab intelligenti causa prævisa, contensu essentiarium atque certo nexu obtainenda, ad quam, re existentia donando, respexit quamque adeo productione rei obtainere cupivit. Finis ergo voluntatem causæ manifestat, ejusque quasi radius est.

Caput Posteriorius.

§. XII.

Demonstrato jam dari sines rerum naturalium, ad usus, quos ex consideratione eorum capere possumus, eruendos atque exponendos properamus. Primus isque primarius usus est ad demonstrandum attributa divina. Et hæc sane illa eadem est via, quam gentium Doctor Paulus in Epist. ad Rom. Cap. 1. inculcat. Ubi dicit: *τὸν γεννητὸν τὸν μανιφέλλοντα εἶναι & συνπίπτειν τὴν καταστάσιν του παγκόσμου* manifestum esse & conspicere in creatione mundi; quod verbu sequente per potentiam æternam atque Divinitatem explicat. Jam vero Divinitas est complexus attributorum Divinorum, quo pertinet præcipue infinitus intellectus Divinus supra demonstratus atque potentia, per quam & intellectum reliquæ virtutes se exlerant: Adeoque hæc, tamquam generalia attributa cetera complectentia considerari possunt. Atque sic ex operibus rebusque creatis, quæ quasi radii divinitatis sunt, ad ejus cognitionem, naturæ dictamine, pervenimus. Quare summam opera eorum meretur laudem, qui hanc rationem ad cognitionem DEI perveniendi, optime docent, atque sic, ab impiis & vanis speculationibus, mentes hominum abducunt, & ad naturam, optimam illam magistrum, penitus inspicendam reducunt eos, qui vere eruditioinis atque pietatis sunt amantes.

§. XIII.

ADea nunc attributa Divina & prædicata, quæ ex

ex contemplatione finium detegi possunt, ordi-
ne proponenda pergitus. Sic fines rerum na-
turalium manifestant Conditoris Sapientiam; Fi-
nes enim rerum in ordine hujus universi, quo
omnia quoad ipsam & tempus aptissime sunt
connexa, sic contentiuntur, ut semper singuli sine
media invicem, omnes autem ad communem a-
liquem finem obtinendum, qui ultimus audit:
Scientia autem finibus obtinendis accommodata,
adjumenta optima eligendi eaque ita ordinandi, ut
alterum alteri subsidio sit, omniaque ad idem
tendant est sapientia; Talis autem in DEO
datur quoniam fines a DEO dependent, qui
cum optime sint coordinati, in DEO da-
tur sapientia summa, quam fines manifestant.
Male quidam rem agunt, qui dum omnia in mundo per
causas efficientes & finales connexa audiunt, necessitatem
induci existimant. Qua tamen non alia est, nisi certitu-
do a DEO previsa atque libere electa esque optima, per
quam vires substantiarum eo ordine conjuncte sunt seque
mutuo insequuntur, qui finibus Divinis, iisque semper opti-
mis, obtinendis maxime est conveniens. Distinguendum enim
est inter nexus rerum sapientis & fatalis necessitatis quam
distinctionem solide enosavit Illustr. Wolffius in Comment.
lucul. & Mon. ad eandem Circa sapientiam Divinam e
consideratione finium detegendam preterea observandum:
Ut in genere verum est, quod quo magis ardua & imper-
via videatur veritas quedam, eo maiore quoque jucundatate,
multo labore detecta, afficiat cognoscētēm; Sic in com-
-

sideratione naturæ idem quoque obtinet, ubi, quo difficilius intentu nobis videtur medium, ad certum quendam finem obtainendum, requisitum; hoc insigniori dein exploratur voluptate, quando comperimus aptissimum ab infinito intellectu Divino esse adornatum. Quo in casu etiam ad humillimam illius sapientie venerationem, que omnem nostram cogitandi vim infinite excedit toto animo lubentissimi ferimur: Atque sic vere pietatis ardore inflammamur.

§. XIV.

BONITAS DIVINA in finibus quoque elucescit, atque ex iis facile detegitur. Usus enim, qui aut ex essentiis rerum aut earum nexus sequuntur, ad perfectionem aut conservationem promovendum tendunt; Quia vero fines cum usibus iidem sunt, etiam ad promovendas perfectiones faciunt. Sed determinatio voluntatis impertiendi aliis quod eorum perfectionem promovet, bonitas audit; quæ, si tantum largiatur perfectionis, quantum quodlibet per essentiam recipere potest, est summa: Jam vero fines promovent perfectionem, quanta in essentias cadere potest; iidem autem ex decreto voluntatis Divinæ pendent; ergo sequitur fines manifestare bonitatem DEI summam, atque hanc ex illis inferri posse. Frustra queruntur nonnulli rebus quibusdam non satis bonitatis inesse, nam bonitas Divina singulis rebus pro capacitate essentia maximam impertivis perfectionem, que possibilis erat; plus autem tribuisse impossibile fuit; quod neque DEUS unquam facit. Existentia enim donavit DEUS b. e. complevit essentias rerum, atque cum omnem perfection-

fectionem esse*ntialem* consecuta sunt. Dein optimo nexu omnes res conjunxit sapientissimus Conditor, ubi omnem perfectionem accidentalem singule consequerentur; adeoque bonitatem maximam ostendit, que ex finibus innescit. Et quamvis, interdum res aliqua perfectione quadam careat, quam, absolute spectata, possidere potuisse, id contra bonitatem Divinam minime est interpretandum; nam perfectionem aliquam rei absolute spectare in nexo interdum negligere, ipsa sapientia requirit, ut ait Cudvorthus System. intellect. Sect. V. Cap. V. Qui rite de DEI operibus judicare volunt, eos non decet quandam universitatem partem separatim considerare, sed totius semper rationem habere.

§. XV.

EX sapientia & bonitate Divina junctim sumatis atque ex contemplatione finium supra illatis, oritur justitia Divina, quare & illa ex Finibus manifesta redditur. Cumque fines omnes in rerum natura ita sint dispositi atque ordinati, ut ad communem aliquem & ultimum promovendum tendant singuli, atque actio, qua DEUS efficit, ut omnia quae in mundo eveniunt, fini, ob quem eum condidit, accommodata sint & in suo statu converventur, dicatur *rectio seu gubernatio*; Sequitur Fines in rerum natura manifestare rectionem atque gubernationem Divinam. Idem dicendum de providentia; in quam rem Cudvortus modo citato loco legi meretur. Eodem modo cetera omnia attributa Divina ex Finibus innescunt, utpote Majestas

Divina, quæ omnium attributorum excellentiam importat, ut reliqua venerabundi prætereamus.

§. XVI.

Alter, qui ex consideratione Finium percipitur, usus est, ut rite discamus judicare de operibus Divinis, etiam illis, quorum non magna, propter experientiae defectum, comparari potest notitia. Cum enim antea ostendit sit, rerum omnium dari Fines, adeo ut nulla unquam res frustra facta sit, & omnes Fines ita sint subordinati, ut ad communem illum & ultimum obtainendum contentiant: Cum porro fines per aptitudinem naturæ eujuscunq[ue] rei obtineantur tales, qui ad perfectiones alias conferunt, easque promovent: sequitur omnino, quod ubi tales obtainentur fines, ibi naturæ eujuscunque rei debita dispositio adsit, conuenienter res quælibet bona & perfecta sit; res igitur omnes, quoad naturam, bonæ atque perfectæ esse debent in universa rerum natura.

Hanc propositionem magni utique esse usus nemo dubitat, qui rite intellexerit quinam maximus sit fructus ex contemplatione hujus universi bauriendus. Qui enim propterea, quod proprium vel proximum singularum rerum finem assiquis non valuerunt, ideo nullum dari falso sibi persuaserunt, etiam de egregiis maxime operibus naturæ viles admodum suscepserunt cogitationes, eoque ipso in sapientiam atque bonitatem Divinam turpissime impegerunt, atque detraherunt gloriæ Creatori optimo debito. Sufficere namque finis generalis rerum omnium nobis potest ad exitandum & suum endum pias cogitationes, atque rite judicandum de operibus,

22

ribus, que in rerum universitate observantur. Finis ille communis in quo consistit facili negotio intelligitur, tunc enim omnium rerum naturalium aptissime promovent quasdam perfectiones: ideoque sapientiam & bonitatem creatoris nec non alia eminentissima attributa atque predicas ejus indicant, atque creaturus intelligentibus manifestantur. Sed summarum in Deo perfectionum atque attributorum Majestaticorum complexus in essentia Divina, constituit gloriam Dei ab'olu'am; ejus autem cognitio ab ente aliquo intelligenti glorian respectivam absolvit. Omnes igitur fines ad promovendum gloriam Det, per perfectionem rerum creatarum consentiunt, ille igitur erit ultimus rerum omnium Finis.

§ XVII.

Nunc luculenter patet omnia opera DEI ea debere gaudere natura atque sic constituta esse, ut gloriam ejus promovere possint. Cum autem ea sit gloriae Divinæ excellentia, ut angustiis rationis nostræ comprehendi nequeat, neque quot & quibus modis illa promoveatur, a nobis perspicere potest: Hinc quoque de naturis rerum earum, quarum plurimi effectus nos latent, nihil speciatim cum certitudine a nobis sciri potest, in genere tamen novimus omnia modis fieri, per essentiam rerum a DEO dependentium, possibilibus, illisque Finibus convenientissimis, atque ideo naturas rerum illis obtainenendis, semper esse maxime accommodatas: licebit tamen interdum conjecturas addere probabiles, tam ex Fine omnium rerum generali, quam ex quibusdam proprietatibus detectis, defuntas.

Huc

Huc pertinent sententiae philosophorum de corporum caelestium ac in primis planetarum natura, atque questiones, an in illis creature viventes & intelligentes habitent. Nec enim vel absurde vel impie judicant, qui maxime congruum putant corpora tam vaste magnitudinis, artificiose structurae atque convenientis situs &c. posse favere substantias viventes atque intelligentes, que quoque illorum corporum constitutiones cognoscere, rerumque ibi existentium usu sese perficere possint, atque sic illi, tamquam splendidissima summi architecti adficia, cum voluptate ex concinna eorundem structura atque sapientiae creatricis splendore exorta, intueri, & Conditori perfectissimo hymnos canere ejusque laudes celebrare.

§. XVIII.

Hinc, quid de complexu operum Divinorum seu hoc universo generatim judicandum sit, paucis accipe: Totum universum, omnia opera DEI, sive entia contingentia a DEO producta complectens, est medium ad promovendam DEI gloriam adornatum; cumque ab infinito intellectu sit productum, atque summa sapientia effectum, quin fini illi accommodatum atque maxime conveniens sit, non est dubitandum. Si autem illud, erit universa ejus natura perfectissima, & consequenter substantiarum omnium vires eo ordine coniunctæ, quo ad finem ultimum a DEO intentum promovendum optime conducere possunt; neque eo fine nunquam excidere poterit Opifex maximus. Quod enim diximus in entibus uniformiter agentibus etiam

etiam plene obtinet; illa autem entia, quæ libertate agendi gaudent, adeoque omnem necessitatem respuunt atque per motiva actiones suas determinant, in illa serie locata esse debent, atque iis involuta circumstantiis, in quibus optima motiva ad illum ipsum finem promovendum eis suffpetant. Adeoque ex intentione ac dispositione Divina omnia in universo sunt optima, consequenter mundus opus DEI optimum censendum erit.

Cum tamen mala etiam in mundo existere nemo negare possit, de illis omni tempore perdifficilis existit quæstio in quam multis inquirere nostri nunc nou est instituti. Sufficiat breviter dixisse, quædam mala ipsarum rerum concordari essentias dicique Metaphysicæ, qualia in rerum natura non dantur: alia autem per accidens in entibus libere agentibus existere, ad essentiam autem rerura non facere, nec Deum auctorem agnoscere, sed ex abuso libertatis, quæ entibus intelligentibus concedi maxime re erat, provenire. Horum ergo cum culpa in ipsis creaturas liberas redundet, eo minus mali existentia ser pulum nobis modere debet, quod simul ad manifestationem justitie atque misericordia Divine faciat, & multa bona ex malis indirecte proveniant. Sic perfectionem Christianam Paradisice prestare statuunt Theologi, vide Disp. Theol. Inaug. de Perfectione Christiana, que auctore Summe Reverendo atque Celebre. S. S. Theol. Doctorante antea bujus Academiæ Professore Primario, iam Pastore inter Holmenses Primario & Consist. ibidem urbici Praefide, Dn. Andrea Bergio, predicti anno 1736.
Ex sine hominis etiam immortalitatem anime, quæ intimorem ejus

*eius naturam prodit, optime posse evinci existimamus: que
namque sumuntur rationes a justitia vel gloria Divina, non
nisi medianibus finibus innoteſcunt.*

§. XIX.

Tertius usus, ex consideratione Finium hauriendus, est investigatio seu detectio principii Juris Naturæ. Fines rerum naturalium sunt perfectiones tam intrinsecæ quam extrinsecæ, aut consentia formalium, aut nexus constituto & rerum plurium harmonia obtinendæ. Quicquid ergo facit ad fines, facit etiam ad perfectiones; perfectio nem autem quod promovet, bonum est. Contra, quod finibus repugnat intert imperfectiones; imperfectio autem malum importat. Actiones humanæ liberæ circa varia occupantur objecta & diversimode determinari possunt; pro diversa autem determinatione diversam fortiuntur aestimationem moralēm. Si enim cum Fine a DEO intento objecti & agentis convergiunt, bona, si vero eidem contrariantur, mala audiunt.

Ex Finibus ergo cognoscitur moralitas actionum. Sed Jus Naturæ concernit actionum humanarum moralem aestimationem. Ergo Jus naturæ cognoscitur ex Finibus. Fines rerum naturalium patefaciunt voluntatem Divinam; deteguntur autem ex rerum natura. Fundamentum Juris Naturæ a plenisque statuitur natura rerum, ab aliis autem voluntas Divina; quæ opiniones re ipsa eodem recidunt; Si modo voluntas Divina spectetur confe-

sequenter ad naturam rerum, quæ quidem omnium primum est fundamentum Juris naturæ, quatenus illud secundum omnem suam latitudinem spectatur; patet igitur ulterius cognitionem Finium intervire cognitioni principii Juris Naturæ. Agnoverunt hos ipsum etiam multi ex Philosophis antiquioribus, quorum alii clarius, alii obscurius sententiam expreſſerunt. Hinc Stoici precipiebant convenienter nature vivendum esse; quod ipsum multi alii deinde inculcarunt: nec dissentient qui naturam humanam in specie pro fundamento vendicarunt; licet inde sabora sit queſtio, in quo statu eadem spectanda effet: non enim excludunt fines rerum in sphera nostra positarum, quamvis primarium & proximum in nobis ipsis fundamentum inveniri deprehenderint. Quo enim accuratis, ex natura nostri & rerum in sphera nostra positarum, fines divinos perspexerimus, eo perfectiorem vitæ habebimus regulam; Que enim cum essentia cuiuslibet rei congruunt, & per naturam obtineri possunt perfectiones sunt fines; & consequenter summa perfectio ultimus Fins. Si ergo finis est obtainendus, omnis perfectio possibilis erit adquirenda. Observantia autem officiorum est, perfectio in hominem cadens; ergo, si Fini hominis satis sit, omnia ex alteri debent officia. Deinde, cum homo per finem sui obligetur ad omnes perfectiones per naturam possibiles acquirendum; sed omnium perfectionum simultanea possessio eidem ut creature non conveniat, successiva acquisitio perfectionum obtinebit, & sic continuus ad maiores indies perfectiones irogressus qui felicitatem absolvit entis finiti intelligentis, quaenam summa-

perfectio possibilis finis erit hominis ultimus. Cum vero homo sibi ipsi suffire non possit, sed aliis rebus extra se positis indigeat, conjungi cum finis proprii cognitione necessario debebit rerum extra nos in Sp̄a nostra positarum finium intelligentia; ut illis, finibus divinis conformiter & ad proprie perfectionis promotionem, uti queamus. Etenim ipsa constitutio organorum corporis & facultatum illis respondentium anime, qua ad res externas determinati sumus, fines divinos arguit quoad rerum externarum considerandi necessitatem; & fines earundem intellecti genuinos & perfectionis nostrae & intentioni divine maxime conformes usus docent. Adeo ut hoc pacto omne nostrum studium, omnis cognitio, non nisi disciplina quadam sit moralis, docens quomodo, pro situ & natura nostra, recte partes nostras in hoc universo exequi debeamus.

§. XX.

Quartus ergo, qui ex contemplatione Finium divinorum in rerum natura, elicitor fructus quemque hic ultimo loco exponemus, est, quod fundamentum omnis veræ atque solidæ eruditioñis nec non rite instituendarum actionum omnium, nos docere possit. Consideratio enim finium ad cognitionem DEI ejusque attributorum per usum primum nos ducit, deinde ad rite judicandum de operibus Divinis, per usum alterum valet. Tum ad cognitionem Iuris naturæ per usum tertium conductit. Quia autem eruditio vera dicitur, quæ nos aptos reddit ad obtinendum fines a DEO intentos, & proinde complectitur cognitionem rerum

rum pro situ nostro, certam atque solidam, ad perfectionem & felicitatem nostram applicandam, ope actionum per genuina motiva determinatarum; atq; fines præterea rerum naturalium manuducunt nos ad cognitionem DEI; eisque perfectionum, ut & naturæ rerum extra nos positarum, æque ac nostri; & ulterius doceat nos actionum ad felicitatem nostram tendentium indelem, quarum continuatio exercitio progressus ad alias & alias perfectiones ac proinde quoque ipsa felicitas, obtinetur; Ergo in detectione Finium utique situm est genuinæ eruditionis, atque actionum omnium recte suscipienda rum Fundamentum.

Eruditio igitur conductit ad usum vite, qui quidem ille finis est, ad quem obtainendum omnis intellectus & voluntatis emendatio collimare debet. Unde sequitur, omnem eruditionem qui ad intellectum instruendum facit, etiam ad vitam perficiendam debere esse accommodatam: Alioqui enī steriles esset & tantum inchoata. Vite enim discendum est non Schole: Quare omnis cognitio, que non influit in vitam, nullus est usus aut frugi; sed, dicente magno Werulamio lib. II de augm. Scient. si quis judicet dñe Etrinam omnem referendam esse ad usum & actionem, iste re-^{ce}c^{ta}te sapit. Hinc ab ingenio ignaro, adulatorio, levi ac volatili, nimis grammatico, præjudiciorum vel affectuum turbare pleto, nulla eruditio vera expectari potest. Nam in rebus preclaris sentit Presl. Dn. Jo. Georg. Zur Linden in Rat. Med. Herm. pag. 47. §. 93. & in primis illos, qui nimis grammatices studio tenentur, considerare jubet, DEUM fixisse homines suos quasi gentiles, non ut idearum

involucris per vitim pascerentur, sed ut solide cognitionis fructu immortalem spiritum explorent & delectarent. Clarissime autem vere eruditio*n*is constitutio patescit e natura mentis nostrae ejusq; nobilissimis facultatibus tam cognoscitivis quam appetitivis, atque finib; ad quos singule admirando creatoris artificio disposite deprehendantur; Etenim, si naturam nostram una cum nexu, in quo nos cum aliis rebus posuit Creator consideraverimus, facile patebit finis ab ipso intentus & ex fine eruto vere eruditio*n*is iudeoles. Facultates videlicet intellectuales ac organa eo spectantia sapientissime adeo disposuit Creator, ut sollicitissime cum videamus prospexisse nobis omnibus, que ad eruditionem vite generi nostro accommodatam acquirendam spectant. Idem etiam ex nexu facultatum intellectualium atque moralium denuo conspicitur. Atque sic ex his finibus singulis, tum precipue generali ex iis eruto, non solum eruditio*n*is vere natura sed & omnium ejus adminiculorum conformatio intelligi potest & propius ostendi, quam tamen, ut nimis prolix operis, instituti nostri ratio non capit. Id tantum addimus, quod cum lectio librorum optimum eruditio*n*is sit adminiculum, non possumus non ex sententia antea laudati Werulamii, post veteris illius almodum exemplaris, mundi scilicet ipsius & nature rerum ac mentis, commendare lectio*n*em librorum physicorum atque philosophicorum, in quibus magna illa scientiarum omnium mater, naturalis puta Philosophia, ad pias meditationes applicatur, & veritates utilissime, religionem, justitiam honestatem ceteraque virtutes mortales spectantes, ex illa deducuntur, instituto plus quam laudabilis.

Qui vero naturam atque fines in illa Divinos considerare neglexerunt, in varios & turpissimos sepe errores prolapsi sunt. Quod omnium temporum fletib'is testatur experientia. Non tantum enim nugas & fabulas sub eruditionis titulo obtruserunt orbi, sed ad impietatem usque summam processerunt; exemplo sit Spinoza hostis infensis-simus finium in rerum natura. Cujus impia de mundo, tam quoad existendi modum quam ordinem, commenta, ut & absurdissima, qui ipsam voluntatem DEI fato subjici comminisebatur, sententia, ideoque nullam libertatem DEO in creando mundo concessam fuisse, consequenter nec ullam electionem aut intentionem fieri potuisse sibi persuasit, satis testantur cum in horrendum hoc ac rationi adeo inimicum fatum, prolapsus, dum de natura prius judicium ferre coepit, quam illum ex operibus cognoverat. Mirum enim quantum seducuntur tantum non omnes, qui experientiam contemnentes, ex notionibus deceptricibus & propositionibus indeterminatis philosophari conantur. Qui vero ducem & magistrum sequuntur experientiam atque ad naturam rerum sedulo attiendunt ex aliorum lapsibus sibi optime cavere discunt, rationes rerum modeste ac caute rimantur, immo si-pe certitudinem velut sensibus usurpant.

Discamus itaque, quotquot ad veram eruditionem adspiram, homunciones, ad debitam contemplationem universi, quod infinite artis speculum & sapientie atque bonitatis Divine optimum praeponit est, & agnitionem finium diuinorum tam necessariam animos sollicite advertere. Deterio enim finium legitima faciem nobis preferet clarissimam, quam secuti, scopulos ad quos ante multi imprudentes offen-

iffenderunt, pretervehemur tutissimi; atque ~~et~~ veram
 DEI operumque Divinorum cognitionem perveniemus: ut
 reverentiam ita maiestatis DEI summam animis insiga-
 mus, atque gloriam ejus quam maxime promovere,
 propriis studentes perfectionibus, sicut rationales decat, an-
 nitamur. Sic omnium, qui ultimus est,
 obtinebitur

FINIS.

Errata notabiliora

Pag. 14. lin. 8. independentium leg. inde pendenti-
 um p. 22. l. 27. nunquam l. unquam p. 23. l. 28.
 1736. l. 1733.



Clarissimo Domino AUCTORI,
Amico singulari.

Qlli vastissimam hujus universi compagem acutiori
mentis acumine perpendunt, haud difficile animadver-
tunt, ex vicissitudinibus & iocurrentibus dependentiam, ex
dependentia existentiam auctoris, quem DEI nomine vene-
ramur; qui, ut interpres quasi existeret perfectionum sua-
rum infinitarum, illam producere voluit. Immensa nam-
que mundi magnitudo, quid clarius, quam potentiam:
admiranda structura & aptissima omnium partium copu-
latio, intelligentiam: actualitas, voluntatem Conditoris te-
stantur? Infiniti ex mutua rerum ad se invicem rela-
tione prouidentes usus, cœn tot sapientie juxtaque boni-
tatis Divine vestigia nobis innoscunt. Hec optima est
via illorum evertendi deliria, qui vel mundi asesta-
tem defendere, vel existentiam summi Numinis in du-
biū vocare non erubescunt. Te igitur, amice optime,
quum nobilissimum hocce argumentum, præcipue vero considera-
tionem, finium, in presenti Tua dissertatione solide ex-
posuisse audio, letitiam, quim ex ea percepi maximam,
non possum non publico hoc documento declarare. Justis
laudibus hoc est insignibus, Te prosequi, vetat amicitia
nostra idque eo minus necessarium judico, quum tot
sint laudum Tuarum pracones, quot pia hujus veritatis
dantur amantes; ipsumque os tuum, quod confessi
egregium, melius, quam leuissima ea, que mibi inest
dicendi facundia, illas loquatur. Gratulor tantum & ex
animo Tibi gratulor insignes animi Tui dotes; gratulor
egregiam Tuam in Philosophia scientiam etatem Tuam
longe

longe supergredientem; gratulor denique lauream illam,
qua propediem applausu omnium ornandus eris. De ce-
tero rogo, ut præmia eruditionis consequaris uberrima
in Tui Tuorumque commodum & solatium exoptatissi-
mam! idque magis animo quam calamo.

Totus Tuus
Laurentius Poppius
Wiburgensis.

Fägne-Rim til Herr Candidaten, Auctoren.

Gi finnes smärt ell stort inunder himla fåsse
Som wore fäfångt gjordt, och utan nytra hår,
Ei på then jord son wi här bågge bo och gäste,
Som ei sin officht hat och menstian mycket lär.

Den sanning du min Bror förfuigt nu utför;
Uti Ditt mittra werck och lärda snilles skrift;
Fördenskul om dit läf man alla tala hörer,
Och rykhet wida kring dit läford för med drift.

Apollo innan fort med Lagerkransen gréna
Dit hufvud lebner wist ina der Muler spic,
Och då din mœda sit med heder will belöna,
För det at Du min Bror förhållit Tig så wähl.

Wår höga himla Drått, Tig unne sädts alt nöje!
I allan tid min Bror, blif i hans föllyhets famn!
Han gifwe dig alt godt, och lyckan til Tig bö e!
Lef ständigt blif och bo i ro och välgångs hamn!

Hästar af hierat
Claud. Joh. Molander
Wiburg.